



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

Luxemburgi, 1758

LXXVII. Damnatio, & prohibitio Epistolæ manuscriptæ, quæ directa legitur:
Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, & clarissimis Theologis in Urbe Præneste
congregatis post pacem Ecclesiæ Gallicanæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

Prædecessorum Pontificum Constitutiones de Celebratibus nonpromotis jam pridem a Pontifice confirmatæ, ac pluribus additamentis elucidatæ.

* In hac Editione Tom. XVI. pag. 196

Nova providentia, adversus eorum eflugium nunc roboratæ.

Benigna agenda ratio cum reis delictum suum prompte fatentibus, jam pro consuetudine recepta.

Eadem delinquentibus nota, impunitatem plerisque præstat

Hujusmodi praxis in posterum tempus prohibetur, & Constitutionum rigor servandus jubetur.

narum rigore, ad formam Sanctionum iisdem Legibus adscriptarum, puniri & vindicari curemus.

§. 2. Sanè Nos aliàs, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti, Missarum Sacrificia celebrare, Fidelium Confessiones excipere, & accedentibus ad Eucharisticam Mensam, Panem a se nulliter consecratum distribuere, ausu temerario præsumerent; edita Constitutione, quæ incipit: *Sacerdos in æternum*: data XI. Kal. Maji Anno Incarn. Dominicæ MDCCXLIV. Pontificatus Nostri IV., antiquiores Prædecessorum Nostri Romanorum Pontificum Constitutiones adversus hujus generis delinquentes jam pridem editas confirmantes & innovantes, complures alias declarationes, atque cautelas addidimus, ad eliminandum a Christiana Republica sacrilegum ejusmodi facinus maximè opportunas, quæ distinctè legi possunt in citata Constitutione nostra, impressa in Bullario nostro Tom. I. num. xcviij. *

§. 3. His tamen amplio rem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus eflugium ibi non enunciatum, & ab inventa sensim in Tribunalibus consuetudine jam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviore pœnas plerique evadere possent, unà cum cæteris per dictam Constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

§. 4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse, ut si Reus constitutus, quum primum a Judice interrogatus fuerit, an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte & candidè delictum suum fateatur & narret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam pœnæ minoratorem habilitetur; quod nimirum eò recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam Foro Seculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus, quemadmodum præfatæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones, a Nobismet ipsis, ut supra diximus, confirmatæ, & innovatæ præscribunt; uti latius a Nobis expositum est in Epistola Encyclicæ ad Antistites Ordinarios Locorum, & Judices in hac materia competentes, hac ipsa die per Nos data.

§. 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerisque reos, qui Sacerdotali Characterè carentes Missam celebrarunt, aut Sacramentum Penitentia nulliter ministrarunt, de hujusmodi Tribunalium indulgentia satis edoctos, vix unquam omittere, quin statim atque carceribus detenti, & coram Judice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem Foro Seculari, extremamque supplicium exinde consequens, evadant; quumque hac ratione re ipsa eveniat, ut vix ullus sit ex hujusmodi criminis reis, qui moderationem pœnæ in præfatis Apostolicis Constitutionibus statuta non obtineat; eoque beneficio fruatur, ut quum Seculari Foro, tamquam capitali judicio damnatus, & mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius Carceri, aut Triremibus mancipetur:

§. 6. Idcirco Nos perniciosam hujusmodi praxim de medio tollere coacti, motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem decernimus, atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses a data præsentium Literarum computandos, nulli amplius Clerico, sive Laico sapediti criminis reo, promerita pœnæ minoratorem ullam concedi debere, sive posse, intuitu promptæ, aperteque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis Judici confessus fuerit; sed, ea non obstante, omnes & singulos in præcedentibus Constitutionibus hac de re editis comprehensos, a Judice competente, in casibus ibi-

dem expressis, prævia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore, & esse Brachio Seculari, capitali pœna puniendos.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, Nostrosque & Apostolicæ Sedis etiam de Latere Legatos, seu Nuntios, & in quibuscumque Tribunalibus, & Officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, definiri, & post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem, & effectum omnino perducendum debere.

§. 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, & Decretis; nec non dictorum Tribunalium, & Officiorum praxi, stylo, statutis, usibus & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Personarum quoque, Locorum, & Ordinum, Congregationum, Societatum, Institutum, & Militiarum, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, quæ supradictæ prioris Constitutionis Nostre executioni decrevimus non obstant: Quibus omnibus & singulis, etiam ad præsentium Literarum nostrarum effectum, iterum plenissime & amplissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum Decretorum, Statutorum, & Derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCCLVII., Quarto Nonas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

J. Card. Pro-Datar. D. Card. Passioneus.

V I S A
De Curia J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicata die XI. Augusti 1757.

Damnatio & prohibitio Epistolæ manuscriptæ, quæ directæ legitur: *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, & clarissimis Theologis in Urbe Præneste congregatis post pacem Ecclesiæ Gallicanæ restitutam, & methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide ad Hereticos profigandos, ad Gentiles, & Atheos in sinum Ecclesiæ reducendos.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ad nonnullos ex Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus pervenerint Exempla manuscripta cujusdam Epistolæ, cui præfixa est Directio hujusmodi -- *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, & clarissimis Theologis in Urbe Præneste congregatis post pacem Ecclesiæ Gallicanæ restitutam, & methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide, ad Hereticos profigandos, ad Gentiles, & Atheos in sinum Ecclesiæ reducendos*; quæque incipit: *Hæc sunt Dubia &c.*; ac desinit in ea verba: *& explodendam novitatem*: unumque etiam ex hujusmodi

Tollitur aliter judicandis interpretandique facultas.

Derogatio contrariorū.

Sanctio pœnalis.

Dat. 2. Augusti 1757. Pont. XVII.

LXXXVII.

Epistola, cui præfixa est directio hujusmodi: *Amplissimis &c. Theologis*, quorum examini a Pontifice subjecta sunt, damnandam & proferendam esse censuerunt.

Exem-

Exemplis transmissum fuerit ad dilectum Filium Nostrum Albericum ejusdem S. R. E. Cardinalem Archintum nuncupatum, Nostrum in universi Status negotiis Secretarium, eo scilicet consilio, ut Nostris quoque oculis Epistola ipsa subjiceretur, id quod est factum: Cumque officii Nostrae partes sint, pro commissi Nobis divinitus Gregis Domini cura, animarum periculis, atque detrimentis, quae ex praefata Epistola lectione & usu provenire possent, Pastoralis sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere: Idcirco Nos statim aliquot Viros doctos, Theologicae facultatis professores, nulliusque partis studio addictos, elegimus, iisque injunximus, ut de praedicta Epistola, deque in ea contentis, iudicium facerent; qui sane mandatis Nostris diligenter obtemperantes, sententias suis doctae prudenterque conscriptis, unanimiter censuerunt, praedictam Epistolam, utpote repletam assertionibus respectively falsis, temerariis, scandalosis, multimode injuriis, contumeliosis, impudentibus, captiosis, seditiosis, & schismati faventibus, damnandam a Nobis & proscribendam fore.

§. 2. Relato Theologorum examini successit aliud, quod Nos ipsi pariter commissimus nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris praedictae S. R. E. Cardinalibus Theologorum Disciplinarum scientia praestantibus; qui eadem Epistolam mature perpensa, ponderatimque dictorum Theologorum suffragiis, in eandem cum ipsis sententiam convenerunt, quaeque ab illis adducta & firmata sunt, suis quoque calculis comprobarunt.

§. 3. Nos denique ipsi, quaecumque in primo & altero examine discussa fuerant, inspicere, legere, & considerare non praetermissimus; dictaque Epistolae tenorem cum illius censura studiose comparavimus. Subinde vero Nos ipsi rem totam communicavimus cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus adversus haereticam pravitatem Auctoritate Apostolica deputatis, in Sacrorum Canonum sanctionibus, graviorumque negotiorum tractatione apprime versatis; quibus quum omnia distincte exposuerimus, quae tum a Nobis gesta sunt, tum a praedictis Theologis & Cardinalibus in priori & posteriori Epistolae examine praec oculis habita fuerant; his quoque censentibus praedictam Epistolam damnandam & proscribendam esse; Nos, inhaerentes huiusmodi Theologorum & Cardinalium iudiciis atque consiliis, ac etiam motu proprio, & certa scientia Nostra, praesentium Litterarum tenore, praedictam Epistolam, tanquam contententem assertiones respectively falsas, temerarias, scandalosas, multimode injurias, contumeliosas, impudentes, captiosas, seditiosas, & schismati faventes, Auctoritate Apostolica damnamus & reprobamus, ejusque Exempla legi, describi, & retineri prohibemus; mandantes omnibus, & singulis Christianis, qui ejusmodi Exempla penes se habuerint, seu in quorum manus subinde pervenerint, ut illa, statim atque praesentes Litterae eis innotuerint, haereticae privatis Inquisitoribus, seu eorum Vicariis, ubi adfit Sancti Officii Tribunal, alioquin Episcopis, seu Ordinariis locorum, tradere & consignare debeant: sub poena excommunicationis majoris,

quoad Personas seculares, quo vero ad Personas Ecclesiasticas, etiam Regulares, huiusmodi mandato Nostrum non obediens, & contrafaciens, sub poena suspensionis a Divinis, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis; quarum absolutionem, & respective relaxationem, Nobis & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, reservamus; excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, uniuscujusque mortis articulo, quo nimirum Confessarius quilibet ab huiusmodi censura, ut praefertur, incurta, absolvi poterit.

§. 4. Quia vero aequum non est, ut impunitus remaneat Auctor praedictae damnatae, & proscriptionis Epistolae, qui per assertiones, ut supra, reprobatae, carpere atque traducere ausus est reclusissimam agendi rationem eorum Cardinalium, quorum Nos consilio, & opera usi sumus, ubi actum fuit de conscribenda Epistola Encyclica, quae prodit superiore anno 1756. sub Dat. die XVI. mensis Octobris; idemque contra ipsam Epistolam Nostram Encyclicam audendo, Nos etiam, qui eam conscripsimus, malignitatis suae jactis petere non veretur; Idcirco Nos Officio Sanctae Inquisitionis committimus & injungimus, ut exactissima diligentia adhibita, curet Auctorem praedictae damnatae Epistolae, qui adhuc latet, detegere & agnoscere: Volentes, ut statim collecta fuerint indicia, quae semiplenam, ut ajunt, probationem constituent, ad capturam Rei ejusmodi indicis gravati, juxta statum, & consuetudinem Sancti Officii, deveniant; deindeque completo & concluso Processu, ad ulteriores poenas adversus eum procedatur, juxta Sacrorum Canonum & Constitutionum Apostolicarum sanctiones; sic exigente justitia publica, quae perniciosos huiusmodi ausus severiori vindicta coerceri jubet.

§. 5. Ut autem eadem praesentes Litterae ad omnium notitiam facilis perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Curatoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, & intimatae fuissent: ipsarum autem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eandem prorsus fidem, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quae haberetur eidem praesentibus, si exhibita forent vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majori sub Annulo Piscatoris die 5. Septembris MDCCCLVII. Pontificatus Nostrae Anno decimo octavo.

D. Card. Passioneus.

Publicat. eodem Die, Mense, & Anno.

Horu Theologorum iudicium comprobant nonnulli S. R. E. Cardinales, quibus a Pontifice iudicium Epistolae examinis fuit demandatum. Rea totam ipse per se Pontifex consideravit & expedit, negotiumque communicavit cum S. R. E. Cardinalibus S. Inquisitionis, qui pariter Epistolam proscribendam iudicaverunt.

Apostolica Idcirco auctoritate damnatur, ejusque exempla legi, describi, & retineri prohibentur.

Officio S. Inquisitionis injungitur damnatae epistolae auctorem detegere.

Publicationem Litterarum Apostolicarum decernitur, & fides eorum sumptibus habenda.

D. 5. Sept. 1757. Pont. XVIII.